70 int

# DE
# CHRISTI SANCTISSIMA DIVINITATE
## ADVERSUS HERNESTUM RENANUM
## ET NUPERRIMOS INCREDULOS

STEPHANI VIGLIONII

IN AVERSANO SEMINARIO RHETORICES PROFESSORIS

ORATIO

EXCEPTA EX ACADEMICA EXERCITATIONE
QUAE AB ALUMNIS CONCINNATA
IN EJUSDEM SEMINARII PINACOTHECA

III. ID. OCT. AN. REP. SAL. MDCCCLXIV

FUIT RECITATA

NEAPOLI
E TYPIS GERMANICI ROSSI
MDCCCLXV

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/dechristisanctis00vigl

PIO IX PONT. OPT. MAX.

ET

ROMANAE DITIONIS UNIVERSAE PROVIDENTISSIMO PRINCIPI

STEPHANUS VIGLIONIUS

IN AVERSANO CLERICORUM SEMINARIO RHETORICES PROFESSOR

CUBICULARIUM STUDIORUM INSPECTOR

adolescentulis ad concionandum instituendis Praefectus
cum Academiarum aliarum Socius
tum inter Arcades Romanos

ZEUSIDES TAMIRIENSIS

ET

IN CASTRIREGALIS PEREGRINORUM HOSPITIO

MARCUS TULLIUS CICERO

FELICITATEM SEMPITERNAM

Tibi, Beatissime Pater, Tibi profecto levidensis licet, tenuique admodum filo deducta oratiuncula isthaec mea debebatur; *Christi* enim sanctissimam divinitatem tot, tantisque et occultis, et apertis machinationibus a maleferiatis hominibus impiis, et scelerosis, his nostris temporibus, oppugnatam eloquitur, ac propugnat. Eam vero ipsam divinitatem divus Petrus Apostolorum princeps, cujus ipse amplissimam personam, ac vices summa sanctitate, et religione geris, ac tueris divino certe numine afflatus mortalium primus et intima animi persua-

sione credidit, et clara, ingenuaque testificatus est confessione cum ait : *Tu es Christus filius Dei vivi.* Quam ob praeclaram sane confessionem amplissimum illud continuo consecutus est praemium, ut Petra, quam super Ecclesia deinceps erat aedificanda, et alterum a *Christo* fundamentum nullis neque humanis, neque stygiis opibus, labefactandum aliquando fuerit divinitus constitutus. Nec minori sane pietate, atque constantia Tu quoque, Beatissime Pater, adversus novos aetatis hujus in pejus usque labentis *Christo* infensissimos Scribas,

et Pharisaeos *Christum* ipsummet verum Deum, et hominem asserendum, ac vindicandum curas. Neminem quippe Catholicorum fugit, quanta dies, ac noctes cum ceterarum rerum, quae ad optimam Christianae totius Religionis disciplinam spectant, tum vero imprimis ut integra, et incorrupta de *Christi* divinitate, et sanctissimae ipsius Parentis perpetua virginitate servetur fides, cura, et sollicitudine distinearis. Quam satis cognitam, atque omnibus perspectam tuam pro fidei integritate tuenda sollicitudinem et prompte conjecta in pestiferos

passim grassantes libellos, eorumque auctores anathemata, et publicae ad Deum ubique locorum indictae supplicationes, et gravitatis, officii, et apostolicae caritatis plenae litterae ad universi Christiani orbis Episcopos datae multo clarius, ac manifestius declarant. Et ego ( si quid mea nullius hominis valet opinio ) divina providentia et consilio factum esse arbitror, ut tuus, Beatissime Pater , pontificatus in haec potissimum teterrima , reique Christianae adversa tempora incideret, quod tanta id aetatis dominantium errorum pravitas ,

tanta vivendi licentia, atque intemperantia tua imprimis sapientia, atque animi firmitate fuerat constringenda, et, Deo juvante, penitus exterminanda. Et re quidem vera. Te imprimis agente, impellente, atque incitante permoti quaquaversus Catholici universi per eruditas, ac pias ad plebes ubique locorum habitas conciones, per doctissimas cujuslibet generis scripturas tam strenue, tamque acriter ad coarguendos, ac diffringendos eosdem grassantes errores aggressi sunt, ut multo solidiores, atque illustriores oppugnatae veritates effice-

rentur, et majori studio, atque observantia in *Christum Jesum*, et in Virginem matrem populorum animi accenderentur. Ipsi quoque, cui certe, utpote Ecclesiae administro, in tantis Christianae fidei tentationibus, ac periculis, in tanta pro ea tuenda decertantium strenuitate, cessare, atque omnino tacere turpissimum foret, ut aliquantulam in rem praesentem operam conferrem, de *Christo* vero Deo ineruditam istam, atque inelegantem oratiunculam conscribere, et per typos e vulgare animum induxi. Atque ea quidem si styli tenuitate,

sententiarum, verborum, aliarumque oratoriarum exornationum paupertate minus ipsa per se probanda sit, argumenti tamen religione, ac sanctitate legentium plerisque minime ingratam futuram spero. Pro tua vero, Beatissime Pater, perspecta in omnes humanitate, ac benignitate, et incredibili, quo assidue detineris, Fidei depositum integrum, atque incorruptum custodiendi studio, ac sollicitudine, qui nimirum ad recte sentientes catholicos magis ac magis in fide eadem confirmandos, cujuslibet generis lucubrationes, eodem spe-

ctantes non modo perbenigne excipere, sed et laudare, et amplissimis praemiis soles auctorum diligentiam remunerari, Tibi inquam hanc ipsam miseram, et jejunam opellam gratam et jucundam cessuram, si confidam, audaciae haud mihi tribuendum est. Quamobrem Tibi optimo jure debitam summa, qua par est, reverentia humillime sisto, nuncupo, ac dedico: Te vicissim ut aequis oculis intueare comiter excipias meique in *Christum Jesum*, cujus vices perbelle sustines, in Te, in istam Apostolicam Sedem, in Ecclesiam univer-

sam religiosissimi animi sincerum pignus habeas, precor, obtestorque, proque hac mea ingenua catholicae caritatis testificatione, si nihil aliud, ut bene mihi, meisque propinquis, auditoribus, rebus, ac studiis dicas pedes osculatus vehementer etiam atque etiam precor, quaesoque.

*Tu es Christus filius Dei vivi.*
MATH. C. XVI. V. 16.

# ORATIO

Cum maximas, maximeque luctuosas, quibus multis abhinc annis publice, ac privatim conflictamur, calamitates, et gravissima universae hominum societati illata vulnera sapientissimis nostris novarum rerum artificibus, et machinatoribus debemus; tum vero imprimis plurima in philosophicas, theologicas, ceterasque nobilissimas disciplinas invecta errorum portenta. Eorum namque improbitate ac nefariis consiliis effectum est, ut passim ab omnibus leges contemnerentur, magistratus negligerentur, virtutes jacerent, vitia exsultarent, ut nulla neque honestatis, neque pudoris, neque officii ratio haberetur, nulla esset amicitiae fides, nulla aetatum, necessitudinum, ac dignitatum verecundia, nulla a flagitiosis hominibus, aut personarum, aut fortunarum publica et privata securitas; contra vero ad rapinas, ad latrocinia, ad quaecumque perpetranda facinora facilior, ac liberior iis aditus pateret, atque adeo optime constitutae civitates, et privatorum familiae impune diriperentur, depopularentur, et e pulcherrimo suo statu turpissime deturbatae in omne calamitatum, atque aerumnarum genus dejicerentur. Eo demum miseriarum devenimus, ut humanae

societatis non modo nervos, atque ossa, sed etiam colorem prorsus amiserimus. At vero multo magis, ac magis dolendum est, quod scientiarum principem illam philosophiam tanta opinionum, ac sententiarum perversitate foedarunt, ut quae vitae dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum jure optimo semper fuit habita ad temeritatem, impietatem, atque impudentiam turpissimam coacta sit facem praeferre. De Deo autem, rebusque divinis tam praepostere, tam impie, tam absurde locuti sunt, ut divino primum consilio stabilitam, tum eruditissimorum Doctorum studio, ac labore, nec non sapientissimis Conciliorum sanctionibus firmatam Theologicam omnem depravarint, et everterint oeconomiam, et Deum ipsum non ex hominum opinione tantum delere, sed ex ipsis animis penitus insitum, atque impressum evellere, et eradicare sint conati. Quot enim, quamque importuna errorum monstra in praecipuas Catholicae Religionis veritates sint miserrimae id aetatis nostrae ubique gentium debacchata, refugit animus non modo commemorare, sed etiam cogitare. Vobis autem religiosissimis viris, qui et ea probe nostis, et summopere abominamini, nequid in ipso statim Orationis vestibulo afferam molestiae, heic loci necesse est praetermittam. Verumenimvero, quod caput est omnium, ceteramque insanissimam ducit familiam portentosum illud monstrum est, quod vetustate jam vietum, et eruditorum Doctorum gravissimo stylo confossum per ineptissimum nebulonem nescio quem Hernestum Renanum e tartareis umbris ad splendidissimam Catholicae fidei funestandam sua tabe lucem revocatum est. Cerebrosus videlicet, et Capitalis iste homo in Parisiensi studiorum universitate Hebraicae linguae Professor, ut suam in ea lingua lutulentam peritiam jactitaret, et famosum ad praesentes, ac posteros

sibi nomen compararet, per putidissimum, et ineptiarum plenum libellum divinissimam *Christo, qui splendor, et Verbum est Patris*, et figura substantiae ejus, Divinitatem per summam impudentiam ausus est abjudicare. Ad cujus sane pestilentissimi libelli notitiam vehementer permoti omnes recte sentientes catholici liberrima primum in auctorem, ut debuerunt, indignatione exarserunt: tum vero quod hoc tam prodigioso erroris commento firmissimum, ac princeps totius Christianae Religionis fundamentum, quo sine nequaquam ea, ne temporis quidem momento, stare potest, attentabatur, ad illud per doctissimas lucubrationes, subtilissimas disputationes, et cujuslibet generis scripturas coarguendum, ac diffringendum omnes ingeniorum suorum vires, ac robur converterunt. Ne vero simplicium mentes perverterentur, publicis ad Deum, ut tam grave a fideli suo populo averruncaret pestem, ubique locorum precibus fusis, et opportunis in rem habitis ad plebes concionibus provisum est. Tam laudabili hac totius Ecclesiae sollicitudine, atque studio nos quoque excitati, qui in hoc pietati, ac musis sacro domicilio diligentissimorum moderatorum cura, atque industria ad omnem virtutem, ac Religionem educamur, et quotidiana ad proelianda proelia Domini palaestra exercemur, ut in tantam, tamque divinam de *Christi* divinitate veritatem non propugnandam magis, quam latinae linguae elegantia, Oratoriae elocutionis luminibus, poetica festivitate, ac splendore illustrandam nostram symbolam conferremus, idem hoc argumentum academicis hisce nostris exercitationibus curavimus attexendum. Hujus autem Orationis difficilius est exitum, quam principium invenire: tanta enim mihi ad dicendum aggredienti rerum copia ante oculos obversatur, ut unde potissimum exordiar, quid prius, quid

posterius eloquar, quam faciliorem, atque expeditiorem in immenso isthoc excurrendo campo teneam viam penitus ignorem. Illud unum certum, ac deliberatum mihi est, quod et satius, ac tutius esse arbitror eorum, qui in eadem hac arena non sine magna cum laude decertarunt, rationem sequi. Quod nobis ne crimini tribuatur, heic aperte, atque ingenue praefari non dubitamus in pervetusta, et pervulgata quaestione, quae toties propugnata feliciter, et constabilita est, nihil novi, sed ab aliis, atque aliis dicta et celebrata novo dicendi genere allaturos. Et quoniam cum levissimo adversario res est, qui verbis magis, ac nugis, quam rebus delectatur, solidioribus sacrorum Bibliorum, atque incorruptae Theologiae magna ex parte posthabitis testimoniis, et e ratione praecipue petitis argumentis *Jesum Christum Deum verum de Deo vero* et habendum, et colendum postquam, Deo ipso juvante, demonstraro, tum recreationis potius, quam decretorii certaminis gratia lusoria cum adversario tantisper arma ventilabo. Vos interea adeste animis, Auditores, adeste, qui a Christiana Religione optime semper stetistis, me de *Christo* Deo, qui Religionis ipsius et Conditor, et summus est finis, et absoluta perfectio, perorantem diligenter attendatis, et vestra humanissima benignitate, ac suffragatione sustineatis oportet. At tu, *Jesu Christe, qui factus es nobis virtus, et sapientia a Patre*, qui unicus es magister, qui vera es lux, *quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, qui veterum prophetarum ora aperire solebas, totque obligatas quondam mutorum linguas exsolvisti, Tu meam hodierna die (quoniam tua res agitur) mentem illustres: tu linguam, quaeso meam expolias, ac moderere ut de Te quaecumque magis sancta, et recta sunt, digna, et justa sunt, et sapiam, et sentiam, et sincero ipse corde credam, et alii

ut sapiant, sentiant, certissimeque tenenda arbitrentur, efficiam.

Et primum quidem: ut a suis rem principiis ducamus, pro certo illud exploratoque habendum est, neque scelestissimum, neque flagitiosissimum, neque perditissimum, at innocentissimum, integerrimum, continentissimum hominem *Jesum Christum* extitisse. Tantam enim praesetulit semper vitae, morumque innocentiam, abstinentiam, integritatem, modestiam, ut quotquot eum intuebantur, aut cum eo tantisper versabantur, in summam continuo hominis admirationem, atque existimationem adducerentur, et ad omnem pietatem, ac virtutem excitarentur. Quin ipsi infensissimi Hebraeorum, Scribae, ac Sacerdotes, qui ad illius labefactandam famam e minimis quoque rebus occasionem arripere conabantur; nullam ei neque fraudem, neque avaritiam, neque crudelitatem, neque perfidiam, neque petulans dictum potuerunt unquam objicere: et caetera populi multitudo, et ethnici ipsi, qui Hebraeos inter versabantur ut sanctissimum Prophetam e Coelo divinitus delapsum existimabant, ac venerabantur, incredibili prosequebantur benevolentia, ad eum et videndum, et audiendum, et quocumque pergeret, sequendum inflammato studio rapiebantur. Nulla videlicet aut itinerum asperitate, aut locorum difficultate, aut domesticorum negotiorum cura, aut cibi, et necessariae quietis capiendae sollicitudine, aut aliis id genus impedimentis ab eo assectando ne temporis quidem momento poterant dimoveri. In cunctis suis, suorumque necessitatibus ad eum velut ad gratiosissimum apud Deum patronum ibant supplices, ab illius ore, nutuque pendebant, ingentem ab illius praesentia, et familiari consuetudine laetitiam, voluptatemque capiebant. Quod si minimum quid peccasset, aut offendisset aliquando;

et praesentes coarguissent, et longo tot saeculorum decursu detectum ad aliorum notitiam in lucem posteri, apertumque protulissent. Atque id eo magis, quod impiissimi per omnes aetates homines extiterunt, qui pestilentissimas de *Christo* opiniones comminisci, et gentes inter differre non dubitarunt. At vicissim non modo sanctissimi Evangeliorum Scriptores, quorum, utpote *Christi* discipulorum suspectum potest esse testimonium, sed ex ipsis hebraeis adversariis Philo, et Iosephus ut absolutissimum vitae, morumque respiciendum omnibus exemplar in suis *Christum* historiis descripserunt. Quin imo non defuerunt ex ethnicis ipsis, quorum alii summis eum laudibus extulerunt, divinis alii honoribus affecerunt, domesticis alii suis laribus Diis accensuerunt. At vero idem hic *Jesus Christus*, qui tanta praestitit probitate, continentia, ac sanctitudine, sese Dei filium, verumque, atque adeo unicum Deum esse perpetuo affirmavit, ardenti studio illud semper egit, in hoc elaboravit, huc omnia sua dicta, et praeclare facta, huc universam probatissimae suae vitae rationem retulit, ut Deus ab omnibus et haberetur, et diceretur, et coleretur. Et re quidem vera, ut nonnulla in hujus argumenti confirmationem delibemus ad divinum istud consilium ignominiae, egestatis, ac molestiarum plena illa *Christi* nativitas referenda est, cum in vilissimo, ac sordidissimo stabulo inter duo bruta, et stupida animalia miserrimus infantulus jacebat, et confertos coelicolarum choros, ut mellifluam simphoniam modulantes sibi plauderent, atque acclamarent, praesto esse jubebat, et inusitati sideris splendore e longingua Orientis regione tres opulentissimos, et sapientissimos reges excitabat, qui sidere eorum duce ad Betlemiticam speluncam simul ac pervenere, omni posita regia majestate, ad illius sese pedes abiecerunt, et humillime ve-

nerati pretiosissimis auri, myrrhae, ac thuris oblatis muneribus eumdem ut regum regem, mortalem hominem, ac summum Deum agnoverunt. Ad illud divinum consilium formidolosa, ac repentina e Betlehem *Christi* demigratio, cum herodianae crudelitatis declinandae gratia in AEgyptum concedere jussus est, quam sane regionem falsis scatentem numinibus, ubi primum *Christus* attigit, ab illius veri scilicet Dei conspectu omnia inanium Deorum simulacra contremuerunt. Ad illud divinum consilium referenda sunt et clarissima illa vox, quae de *Christo* lustralibus Iordanis undis per Ioannem Baptistam abluto e Coelo repente intonuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;* et amplissimum Divo Petro tributum praemium, qui nimirum ob liberam, atque ingenuam *Christi* divinitatis confessionem ceterorum Apostolorum princeps, et alterum ab ipsomet *Christo* nullo unquam neque humano, neque tartareo molimine labefactandum Ecclesiae fundamentum est constitutus. Ad illud consilium referendae sunt, quas inde ab incunte duodecim annorum aetate divina sapientia refertas, ad populum habuit *Christus* conciones, et ad sapientissimos scribas, ac doctores disputationes, quibus tanta evidentia suam probavit divinitatem ut et simplicem populi turbam ad ingentem sui venerationem incitarit, invidos vero scribas coegerit illico conticescere. Ad illud consilium innumera, et portentosa, referenda prodigia sunt ad communem omnium utilitatem a *Christo* cunctis admirantibus perpetrata cum vita jam perfunctos, a Daemonibus exagitatos, variis insanabilium morborum molestiis oppressos, perturbati maris tempestates uno vocis imperio, et oculorum nutu ad vitam, ad sanitatem, ad tranquillitatem extemplo revocavit. Ad illud consilium referenda est illa ex homine in Deum ma-

nifestum splendidissima, ac repentina metamorphosis, cum in summo Taborris vertice inter Moiseten, atque Eliam *Christo* constituto, Petro, Joanne, et Jacobo inspectantibus, Apostolorum praecipuis, tanto insitae divinitatis lumine, atque splendore et facies, et totum ipsius corpus perfusum, et collustratum est, ut sacro prae horrore mons contremuerit, a nimia locum ipsum claritate coruscantem in coelestem piorum sedem mutatum, ac versum existimares, tam novae, tamque insolentis rei miraculo exterrefacti ad terram e vestigio venerabundi sese prostrarint: non enim mortalem, ut ante, hominem, sed immortalem Deum, Deum ipsum videre sibi videbantur. Quam verissime conceptam Apostolorum opinionem AEternus ipse Genitor confirmavit eadem coelitus demissa voce, atque ea, quae supra Jordanis fluenta audita fuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* Ad illud consilium demum, ut coetera omnia, silentio praetereamus, ea imprimis referenda est, quam omni contumeliarum, acerbitatum, ac miseriarum genere turpissimam, atque atrocissimam in montis maxime omnium ignominiosi, confertissima insanientis, et convitiantis populi, ac militum multitudine stipatus pro communi mortalium reparatione, ac salute *Christus* occubuit mortem. Quamquam enim abominatae crucis extremo supplicio inter binos famosos latrones, supra quam dici potest, discruciatus moriebatur, occulta tamen, et sane quam metuenda potentia Coelum, ac terras ad lamentabilem sui commiserationem adeo commovit, et concitavit, ut Solis, ac Lunae e vestigio obscurata sint lumina, judaici templi in duas partes discissum sit velum, multa e sepulchris, ubi jamdiu jacuerant, in lucem prodierint corpora mortuorum, ac densissimae factae sint tenebrae super terrarum orbem universum. Qua quidem ve-

hementissima totius ingemiscentis naturae commotione permoti, ac perturbati, qui aderant Judaei admissi tam nefandi facinorosis poenitentia adducti percutientes pectora sua exclamare derepente pulcherrimamque, ac verissimam confessionem confiteri coacti sunt: *Vere filius Dei erat iste.*

Jamvero quem vestrum latet, Auditores, summae, atque intolerandae impietatis, improbitatis, et vitiorum extremum esse divinos sibi honores arrogare? Capitalium namque scelerum funestissima origo, et blanda nutricula semper habita est superbia. E superbia nimirum fastus, inanis gloriolae appetentia, audacia, obtrectatio, insolentia, e proprio veluti fonte derivantur: e superbia habendi, ac dominandi insolens cupiditas, praeceps, ac furiosa iracundia, effraenata injurias persequendi voluntas, recta suadentium contemptrix pervicacia proficiscuntur: e superbia legum, ac magistratuum contemptus, natu majorum negligentia, aequalium invidia, ac despicientia, ad alios evertendos, et ex aliena sibi ruina existimationem, atque honores comparandos, calumniarum, ac fraudum machinatio, odia, inimicitiae, simultates, atque alia id genus vitia non pauca enascuntur. Si igitur, quoad heic in terris versatus est, omni virtutum laude antecelluit *Christus*, cum sese Dei filium, verumque Deum esse affirmavit, ac divinis operibus comprobavit, nemo est, ut equidem arbitror, tam vecors, tamque agresti, ac duro ingenio, qui non sentiat, ac probe non intelligat, revera, summoque jure *Christum* habendum, et confitendum, et colendum Deum esse.

Agite vero dum, quod in dubium omnino vocari non potest, confiteamur necesse est, per suam quemque doctrinam homines internosci, quidque de unoquoque sentiendum, ex ejus aut scriptis, aut sermonibus dijudicari. Quam sane ma-

gnopere probandam sententiam brevissimo illo effatu suo, *loquere, ut te videam*, minime ineptus philosophus Aristippus confirmavit. Hinc enimvero Plato, Aristoteles, Pytagoras, Socrates, Pericles, Demosthenes, Hyppocrates, Hesiodus, Homerus, Livius, Tullius, Maro, aliique vetustae antiquitatis nobilissimi scriptores per operosa, quae posteris tradidere, magna doctrinarum omnium laude praestantia volumina divinum, atque immortale sibi nomen pepererunt. Verum iidem ipsi auctores ingeniorum feracitate, lucubrationum excellentia, documentorum utilitate tam praeclari etsi permulta splendide, sapientes, pulchre, recte invenerint, definierint, affirmarint, incredibile dictu tamen est, quot falsis, quot absurdis, quot a recta ratione, et a veritate longe aberrantibus sententiis suas passim scripturas deturparint. In magna videlicet rerum plurimarum ignoratione, in magna errorum perversitate, in maxima circa summi boni, verique Dei notitiam, primaevam hominis originem, finem ultimum, ac sinceram beatitudinem, incorruptam morum honestatem, aliasque generis ejusdem gravissimas veritates in maxima, inquam, opinionum pravitate, ac varietate versabantur; ut binas secum invicem repugnantes, summae rationis, consiliique participem alteram, fatuitatis, stultitiaeque plenam alteram sub uno, eodemque corpore existimes in illis mentes extitisse.

Ecquis autem sanctissimam *Christi* doctrinam digno laudum praeconio prosequatur? In quam videlicet commentandam, explicandam, atque illustrandam cunctarum gentium, atque aetatum ingeniosissimi quique homines suas omnes vires, cogitationes, ac navitatem contulerunt. Ad quam solidius stabiliendam, et confirmandam tot in amplissimis conciliis sapientissime, et gravissime consulta sunt, et decreta. Quae

acerrimis licet disputationibus in publicis Academiarum congressibus disceptata sit, et ad severissimam trutinam revocata, nihil tamen unquam in ea pravum quid, aut perversum, nihil minus caute, aut inconsiderate, nihil prorsus reprehensione dignum offensum, aut inventum est: at omnia vicissim incredibilis sapientiae, ac sanctitudinis ad miraculum referta. Sumite, amabo vos, Auditores, tantisper in manus Evangeliorum librum, a prima ad extremam pagellam diligenter evolvite, attente lectitate, studiose considerate: fieri profecto nequaquam poterit quin a sceleris cujuscumque affectione abductos continuo ad pietatem, honestatem, ac virtutem vehementer etiam atque etiam accensos, et inflammatos vosmetipsos non sentiatis: tantum in divino, et coelitus allato illo libro est sententiarum pondus, et gravitas, tanta verborum perspicuitas, tanta persuasionis vis, atque efficacitas. Quae sane omnia mente facilius concipere, quam verbis queas significare. Nullum hominum genus est, nulla vitae conditio, nulla aetas, quae peculiaria, sibique propria ad bene, beateque vivendum conducibilia ibi non inveniat documenta. Ibi ad graviores, ac molestiores levandas ac persanandas animorum aegritudines praesentissima praescribuntur remedia. Ibi justitiae, temperantiae, prudentiae, et virtutum coeterarum incorrupta principia, et expresse statuuntur, et facillime explicantur. Ibi sanctissima adversus Deum, et alios quoscumque in nosmetipsos, quae debemus, officia primo statim oculorum intuitu sese praebent aspectanda. Atque haec planiora, magisque perspicua ut fiant, infelicissimum mortalium statum, ante *Christi* quam per totum terrarum orbem Evangelium propagaretur, vobiscum una reputate. Miserum me! refugit animus non modo commemorando, sed etiam cogitando ingentem, et prodigiosam

flagitiorum, atque errorum colluvionem, quae ubique locorum grassabatur, effraenatam vivendi licentiam, insanientem in mutuas suipsorum caedes ferocitatem. Nihil usquam sancti, nihil recti, atque honesti, nullus erat pudori locus, nullam per eam tempestatem fides, nulla pietas, nulla religio; omnia divina, atque humana aut ignorata omnino, aut passim neglecta, contempta, violata. Neque Scytharum solum, Sarmatarum, Medorum, Assyriorum, aliaeque gentes hujuscemodi ab omni humanitatis cultu abhorrentes, verum etiam ipsi optimarum artium, ac disciplinarum cultura perpoliti Graeci, ac Romani gravissima, ac turpissima opinionum, ac morum perversitate distinebantur. Utque suis liberius insanis cupiditatibus velificarentur, vitiosissimos quosque Deos et adorandos, et imitandos per summam impudentiam effinxerunt, et consecrarunt. At *Christi* Evangelii ut primum gentibus lux affulsit nova extemplo quaquaversus humanitatis, honestatis, integritatis, continentiae lux oborta est, novus rerum ordo visus est affulgere. Tunc primum revera ab agresti vivendi ratione, ab impietate, ab impudentia, ab ferocia, a pervicacia, ab audacia, ab insolentia, a vitiis omnibus, atque ab interitu, ad humaniorem cultum, ad pietatem, ad pudorem, ad lenitatem, ad modestiam, ad comitatem, ac benignitatem, ad virtutes, et ad vitam integrae sunt gentes revocatae. Verumenimvero quisnam reperietur, nisi communi sensu plane careat, qui tam excellentem, tam sanctam, tam intaminatam, ac divinam prorsus doctrinam e divino fonte profluxisse non fateatur, et de *Christi* doctrinae illius auctoris divinitate in certissimam opinionem continuo non adducatur? Ita profecto est, Auditores, ita est: e Coelo, e summi Parentis sinu, unde ipsum Verbum ante omnem saeculorum memoriam, genitum fuit, expressam ad

terras detulit divinam illam suam doctrinam, qua nec sanctior, nec praestantior, nec divinior unquam alia extitit, nec esse, aut excogitari poterit aliquando.

Atque illud quoque hoc in loco mecum expendatis licet: per quos videlicet viros, quibusque artibus tam late, tam celeriter, tantaque felicitate eadem illa doctrina, quae nimirum dogmatum sanctitate, ac praeceptorum severitate humanis cupiditatibus maximopere adversatur, evulgata sit, et propagata. Non armorum strepitu, non militum robore, non per ingeniosissimos viros; at contra per duodenos ineptos homines, nulla generis nobilitate commendatos, nullis philosophiae institutis, nulla dicendi arte illustres, nulla nominis celebritate praeclaros, nullo rerum humanarum praesidio munitos, quibus nimirum omnium egenis, quocumque terrarum peregrinarentur, aliena misericordia vivendum esset. Isti tamen adeo obscuri, atque abjecti homines, nullisque magnis agendis rebus idonei tanta excelluerunt dicendi facultate, tanta valuerunt ad persuadendum efficacia, ut excisis ubique locorum morum corruptelis, vitiorum illecebris radicitus extirpatis, inveteratis erroribus diffractis, non modo minutam ac vulgarem plebem suae voluntati obedire, sed ipsos quoque principes, ac potentissimos reges, et nobilissimos philosophos, et quibuslibet scientiarum disciplinis eruditissimos viros sibi coegerint assentiri, ac libentissimis animis *Christi* veri Dei fidem, ac religionem amplexari, fovere, amplificare. At, undenam illis tanta vis ac facultas, unde persuasionis efficacitas tanta derivata est? e divina videlicet *Christi* virtute, qui per universas terras ad edocendas novae suae Religionis mysteria gentes Apostolorum principes cum dimisit divino suo numine, ac praesidio eorum sese operae, laboribus, ac periculis, cunctis volventibus saeculis adfuturum est perbenigne pollicitus.

Quid vero, quod majorum gloria, suo ipsorum virtutum splendore, ingeniorum praestantia, doctrinae celebritate, fortunarum copia florentissimi quique homines adeo de *Christi* divinitate penitus persuasi, et certi fuerunt, ut non modo ipsi omni obsequiorum ratione ut Deum venerati sint, sed ceteri universi quoque, ut haberent, et venerarentur, quantum in ipsis fuit, adlaborarint? De *Christo* namque vero Deo et publice, et privatim, de plano, ac de superiori loco summa animorum contentione locuti, et concionati sunt, ac doctissimas lucubrationes pervulgarunt. Quin immo ad ipsiusmet *Christi* notitiam barbaris populis afferendam patriae charitatis obliti, honorum, ac dignitatum posthabita claritate, paternis contemptis opibus, ac deliciis, obstantium propinquorum, atque amicorum lacrymas, ac miserabiles preces aspernati per longinguas, efferatas, atque inhospitales regiones peregrinari non dubitarunt. Neque vero eos ab hoc tam sancto, tam glorioso atque arduo incoepto, aut itinerum difficultas, aut locorum ignoratio, atque incredibilis inclementia, aut procellis, praedonibus, scopulis, aliisque horrendis monstris infestissimorum marium periculosissima navigatio, aut asperrimorum montium solitudo, aut ignoti coeli intemperantia, aut frigoris, aut aestus, aut famis ac sitis intoleranda incommoda, aut novorum incolarum intractabiles mores, et belluarum magis, quam hominum particeps ingenium, aut innumera hujuscemodi impedimenta absterruerunt. Cuncta videlicet pericula, et passim adversantes calamitates summa *Christi* charitas, atque intima de illius divinitate persuasio superavit. Quid? Recolite, quaeso, Auditores, et ad mentem revocate nefarios conatus, ingeniosas molitiones, inusitatam crudelitatem, gravissimas molestiarum moles, quibus ab ipso sacrosanctae Re-

ligionis nostrae primordio ad Christianum nomen affligendum, et *Christi* ipsiusmet Divinitatem evertendam judaica primum perfidia, tum insana Ethnicorum superstitio adgressa est. Hei mihi! quam importuna, et permolesta hoc in loco, ubi mea maxime exsultaret, ac triumpharet oratio, tristissimarum rerum angit et perturbat animum cogitatio! Quocumque adspicio acerbitatum, dolorum, miseriarum, luctuosarum cladium plena omnia cerno. Cerno animo ad commune omnium Christianorum exitium, ac perniciem hinc foedissimo squalore obsitos carceres, ac speluncas, pantheras, tigres, leones, et ferocissimas id genus alias belluas, in immensum succrescentibus flammis accensos rogos, a pice, ac resina effervescentes ollas aeneas, ardentissimas fornaces, prunis suppositis torrentes crates, illinc miserandum in modum torquentes, ac discruciantes aculeos, infelices arbores, aerumnosas cruces, horrificas sagittas, atrocissimos districtos gladios, ac secures, acerbissimas virgas, scorpiones, plumbatas pilas, atque innumerabilia id genus formidanda mortis instrumenta. Videre mihi jam videor valentissimos, et ad pulsandos, verberandosque homines exercitatissimos ad caedem imminentes lictores, inaudito quodam furore inflammatos tyrannos, praesides, ac magistratus universos minacissimis edictis in novam *Christi* Religionem fulminantes, delectas audacissimorum militum manus ad conquirendos, et extremo supplicio afficiendos Christianos hac illac discurrentes. Versantur mihi ante oculos ingentes omnium aetatum, atque ordinum Christicolarum catervae, qui ad iniquissima Praesidum tribunalia, tamquam mansuetarum ovium greges ad lanienam ultimis cruciatibus conficiendi a flagitiosissimis impietatis ministris adducuntur, atque illis, ni sanctissimam *Christi* fidem ejurent, crudelissi-

mum mortis genus subeundum denuntiatur. Hei mihi, quam dura, quam acerba, quam luctuosa, quam intolleranda, et ab omni prorsus humanitate aliena perferenda illis objiciuntur! tantam, tamque efferatam redolent crudelitatem, ut ipsam rerum earum recordationem animus refugiat, commemorationem oratio reformidet. Alii videlicet ferro, atque acutissimis telis, ac sagittis confodiuntur, alii acerrimis virgis, ac bacillis, donec ultimum exhalent spiritum, vehementissime caeduntur, alios extra urbem summo impetu raptatos, et crepitantium saxorum turbine oppressos, furiata conficit multitudo, alios in amphitheatra demissos maxima fremebundae plebis adstante, et plaudente frequentia lacerat, et consumit immanium belluarum fames. His viventibus, ac videntibus a vertice ad imos talos acerbissime detrahitur, ac laceratur cutis; his liquefactum, atque ebulliens plumbum in ora injicitur; dura his bipenni guttura transfiguntur, hos voracium flammarum absumit acerbitas, consumit illos adstrictarum glacies aquarum, asperrimaeque hyemis interimit rigor, ex altissimis montibus per saxa, rupesque praecipites nonnulli dejiciuntur, per pavimenta candentibus prunis inflammata coguntur alii ambulare, per arctissima vincula, durissimosque compedes aliorum tentatur constantia, aliorum vero per diuturnam inediam, ac vigilias, per ignominiosas, atque execratas cruces, perque gravissimas equuleorum distortiones. Sed jam sinite me, Auditores, ne vestrum, qui me tam diligenter attenditis, humanissimum ac mansuetum animum tot atrocissimis commemorandis rebus nimium contristem, sinite, inquam, et bonorum spoliationes, vexationes, direptiones, in ultimas terras exilia, insectationes, maledicta, probra, convicia, et ceteras teterrimas carnificinas, quibus ab ingeniosissima, et insanienti

ethnicorum superstitione primaeva *Christi* Religio adflicta fuit, me silentio praeterire. Multo plura alioqui, et majora profecto ea sunt , quam ego valeam omnia nedum longa oratione percensere, sed ne delibare quidem, et summatim attingere. At vero nullum est tantum flumen ingenii, nulla dicendi tanta vis, atque copia, quae incredibilem, et pene divinam, non dicam animi aequitatem, non lenitatem, non fortitudinem, sed laetitiam, sed voluptatem, sed alacritatem, atque exsultationem, qua invicti *Christi* Athletae tot, tantosque cruciatus ac miserrimas mortes exceperint, pertulerint, superarint, queat pro dignitate collaudare. Testis est fortissimorum omnium Christianae fidei adsertorum longe princeps, et singularis fortitudinis splendidissimum exemplar Levita Stephanus, qui horrenda resonantium saxorum grandine appetitus jam jam moriturus flexis suppliciter genibus tendens ad *Christum Jesum* ex aperto coelo ipsius fortitudinem adspectantem manus suis ipsis inimicis admissi in se facinoris veniam, pacem, ac salutem a Deo clara voce exoravit. Testis est Levita Laurentius, qui a subiecto igne candentibus ferreis cratibus lenta morte perimendus impositus ad ipsum adstantem impiissimum tyrannum conversus subridens , in haec jocosa verba allocutus est *assatum est jam, versa et manduca.* Testis est nobilis illa virgo Eulalia, quae tredecim annos nata vulneribus cum toto corpore confecta esset, praesentem tyrannum precata est, ut multo sale aspergeretur, quo sapidius amatissimo suo *Christo* e sua carne apponeret ferculum. Testis est Episcopus Cyprianus, qui dum necaretur bonorum suorum eum ipsum carnificem, a quo necabatur, heredem nuncupavit. Testes sunt Apollonia Virgo, et Agapitus Antistes , quorum altera in accensum et paratum sibi rogum, inter ferocientes bestias alter liber-

rima sua sponte sese iniecerunt. Testes sunt, ut innumerabiles alios brevitatis gratia praetermittam, tot infirmi, atque effeti senes, imberbes juvenculi, debiles foemellae, imbelles virgunculae, quibus universis quamquam non satis consilii ad verum penitus cognoscendum, nec virium ac roboris affatim ad perferendum suppeteret, tanta nihilosecius sapientia, tantaque divinitus firmitudine in suis quisque cruciatibus sustinendis excelluerunt, ut metuendi magis, quam metuentes tyrannorum, ac magistratuum conspectum subirent, in ipsa vero tormentorum perpessione pro lamentabilibus querimoniis, et jucundissimas Deo persolvebant gratiarum actiones, et jucundissimas personabant cantilenas. Testes tot ipsorum ethnicorum millia, qui heroum nostrorum invicta fortitudine, atque alacritate vehementer permoti verum esse Christianorum Deum sibi persuadentes, liberrimeque confitentes ad nostram e vestigio Religionem amplectendam excitabantur. Testes imperatores, Reges, ac magistratus, qui ne obfirmata nostrorum constantia victi, ac superati viderentur ad eos emolliendos, inque suam sententiam traducendos, a minis, ab ignominiis, a cruciatibus ad blanditias, ad honores, ad dignitates, ad amplissimorum praemiorum liberalissimas pollicitationes non semel quidem, sed iterum, atque iterum, at nequicquam transierunt. Testes vero jam ipsae, ipsae, inquam, belluae ferocissimae, et inanimata mendacium Deorum templa, ac simulacra, quorum illae ad obiectorum Christianorum aspectum insita derepente posita feritate, quamque homines exuerant humanitatem quodammodo indutae ad eorum sese pedes adulantes, ac blandientes abiecerunt, haec vero improviso labefactata motu saepenumero corruerunt. E quibus sane rebus omnibus illud effectum est, ut quo magis affligeretur, vexaretur, ac ra

ptaretur, eo magis non in dies, sed in singulas ferme horas christianum nomen inclaresceret, efflorescerct, amplificaretur, et longe, lateque propagaretur. Occisorum videlicet *Christi* militum sanguis, ut scite, ac sapienter admodum Tertullianus inquiebat, foecundum semen erat, e quo uberrima exsurgebat hac illac nova Christianorum seges suavissimos fructus allatura.

Sed illud quoque heic loci mecum animadvertatis oportet. Auditores, in qua urbe primum per atrocissima edicta, contumelias, cruciatus, supplicia, et universa mortis genera, supra fidem, ac modum, in nostram sacrosanctam Religionem saevitum est, in ea deinceps Religionem eamdem summopere floruisse a publica, ac privata pietate positis pluribus, et magnificentissimis templis honestatam, ac decoratam, maximis excultam esse caeremoniis, suarumque opum caput, ac praecipuum numquam casurum domicilium collocasse. Et divino prorsus consilio factum est, ut cum formidoloso armorum strepitu, et bellicosorum hominum robore, ac devictarum gentium internecione trans Garamantas, et Indos veterum Romanorum prolatum sit imperium, eo terrarum etiam, immo vero longius, latiusque abominatae prius Crucis vexillo, fortunatissimis *Christi* ducis auspiciis, apostolicorum virorum virtute, ac sanguine nostra feliciter prospereque propagata sit Religio. Jam nunc verissima, et exploratissima habetur communi omnium sermone celebrata divina illa Hipponensis Doctoris sententia: *non ferro*, scilicet, *sed ligno Christum terrarum orbem domuisse*. Jam cuncta, quae a continentissimis, intimoque summi Numinis instinctu excitatis viris tot ante saeculis fuerant de *Christo Jesu* praenuntiata, ad auspicatissimum exitum sunt perducta, et eversa ubique gentium inanium Deorum reli-

gione adeptus est *Christus* gentes haereditatem suam . et terrarum terminos possessionem suam. Nullus enim adeo obscurus, adeo remotus, atque abditus terrarum angulus est, quo faustissima *Christi* notitia, et sanctissima fides, et pacificum imperium non immigrarint: nulla neque tam barbara, neque tam immansueta, et ab omni omnino humanitatis sensu aliena gens est , quae ad *Christum* pertinere maximopere non glorietur. Jam vanis humanae insanientis sapientiae improbatis , ac rejectis commentis ad sinceram, ac solidam mortalium felicitatem accomodata una *Christi Jesu* doctrina dominatur. Jam miseri, abiecti, afflicti, moerentes, calamitosi, ad summas angustias adducti, quod hominum genus maximo antea dedecori, ac despicatui habebatur, omnium beatissimi putantur, ac praedicantur, miserrimi e contrario, qui in beatorum numero ponebantur, divitiarum, opum, honorum , voluptatum , deliciarum cupidi amatores, et sectatores. Atque inde sane fit, ut ad cunctam Evangelii disciplinam formatis hominibus nihil paupertate, laboribus, calamitatibus, aerumnis, atque id genus adversis rebus antiquius , suavius, atque optatius contingat. CRUX enim, una *Crux*, per quam *Christus Jesus deleto, quod erat contrarium nobis mortis chirographum,* ac mortis principe divino plane consilio, atque admirabili providentia triumphato, factus est obtemperantibus sibi causa salutis aeternae. *Crux*, inquam, quo uno nomine universa laborum, calamitatum, molestiarum, poenarum, cruciatuum , aerumnarum genera comprehenduntur , tantopere hactenus detestata *Crux* una modo ubicumque locorum viget, regnat, et summo in honore habetur. *Crux* enimvero praecipuum est, ac singulare totius Religionis insigne praesidium, ac firmamentum: *Crux* Ecclesiarum singularum pulcherrimum , et gloriosissimum

decus, et amplitudo: *Crux* privatas Christianorum familias praesentissima tuetur, et conservat tutela: *Crux* clarissimis gemmis distincta Pontificalium ornamentorum maximum ornamentum est, et perillustris divinae eorum dignitatis testificatio. *Crux* regias coronas ad eorum consecrandam, ac muniendam potestatem exornat, et illustrat: *Crux* militaribus vexillis inscripta ob certam, quam injicit, victoriae fiduciam, acriores in praelia milites facit: *Crux* excelsa templorum fastigia ad terrificos tonitruum impetus comprimendos tenet: *Crux* magnificentissimis obeliscis imponitur ad amplissimum ornamentum: *Crux* in summis Civitatum, oppidorum, arciumque moenibus ad validissimum munimentum collocatur: *Crux* ad navigiorum proras efficta affulget ad depraeliantium ventorum furores coercendos, ac tempestates prohibendas: *Cruci* debent pauperes, aegroti, et calamitosi in suis quisque incommodis aequo animo, et molliter ferendis opportunum robur, et consolationem; in secundo, ac florenti fortunarum statu modestiam divites, continentiam, temperantiam; Juvenes in vitiosa, atque inconstanti adolescentia, virtutis amorem, constantiam, stabilitatem; senes leviorem, ac tolerabiliorem difficilem, et miseram senectutem; peregrinantes in tanta itinerum varietate, ac periculis, in tantis latronum insidiis, et incursionibus expeditam rationem, ac securitatem. Per *Crucem* occultas, atque apertas inimicorum aggressiones, vaferrimos Daemonum astus, atque alias id genus tentationes detegimus, et superamus. Aut cibum, aut somnum capiamus, aut vigilemus, aut ambulemus, aut rusticemur, aut aliis quibuscumque occupationibus detineamur, ut omnia nobis fauste, feliciter, prospereque succedant, per *Crucem* efficitur. Nonne *per Crucem* Christiani effecti, et firmati sumus? nonne per *Crucem* in singulas fer-

me horas suscepta scelerum foeditate expiamur, et immaculatas summo Numini quotidie hostias immolamus, et superos nobis conciliamus? Nonne in illo miseriarum omnium miserrimo mortis puncto, in maximis illis et gravissimis, quibus tunc temporis summopere urgebimur, et conflictabimur molestiis, unica nobis praesto aderit *Crux* ad subsidium, ad solatium, ad saluberrimum levamentum? Ad summam, ut omnia paucis complectar, quaecumque ad praesentem, ac futuram plenissimam nostram faustitatem, ac beatitudinem magis conducunt bona in una praecipue *Cruce* collocata habemus.

At tibi uni, nisi resipueris, tibi uni, hominum pestilentissime Renane, cum tui similibus Christiani imperii exitialibus monstris, ac prodigiis haec eadem *Crux* ad opprobrium, ad supplicium, ad interitum sempiternum comparata est. Nonne sentis, bellua, quae sit frontis, proterviae, impudentiae tuae hominum querela, et liberrima indignatio? Tunc saeculi nostri infamia, de sanctissimo *Jesu Christo*, ad cujus terribile, et summa cum veneratione compellandum nomen omne genuflectitur coelestium, terrestrium, et infernorum tam impie, tam perverse, tam contumeliose garrire ausus es, ut multo pejus, quam olim per Hebraeos effectus est, abiectionem plebis, et opprobrium hominum quantum in te fuit, effeceris? Itane vero? at responde mihi, funestissima Christianorum pernicies, in illis tuis impietatis, ineptiarum pestilentiae ad fastidium plenis libellis de summo salutis, ac Religionis nostrae auctore, ac principe, an de alio aliquo e tuo putidissimo, ac lutulento cerebro per somnium efficto *Christo* loqueris? Siccusne, tuique compos, an temulentus, ac delirus, vigilando, an somniando infames, ac monstrosas opellas illas coagmentasti? Et vinolenti, et ve-

sani, et furiosi, et somniantis hominis recte sentientibus viris ea scilicet videntur : tot, tantisque absurdis , et secum adversa fronte pugnantibus verbis , ac nugis referta sunt : tanta horrent absonarum rerum, ac mendaciorum foeditate, ac pravitate ! Tunc obscurati, et cunctis cupiditatibus caecati intellectus tui tenebris immensam eam lucem, *quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* per summam audaciam, temeritatem, atque stultitiam obscurare ausus es ? Tu forsitan ad comparandum novum ignominiosissimo nomini tuo decus, ad serviendum optimorum tuorum sodalium voluntati tantum improbitatis, ac prodigii adgredi non horruisti. At stultitia tua supplantavit gressus tuos: cui tot, tamque dedecorantes personas imponere non dubitasti, nunc per tot eruditissimorum hominum lucubrationes , disputationes , et egregias scripturas multo clarissimum , et gloriosissimum toto terrarum orbe effectum est *Christi* nomen , quamque de illius divinitate infirmare , et infuscare voluisti , multo solidior , atque illustrior et penitus magis , ac magis in ceterorum fidelium animis infixa est persuasio: te autem Christianae Religionis infamissimum proditorem , labem , ac flammam , tuique similia portenta et senes , et pueri, et docti, et indocti, et nobiles, et ignobiles, et cujuscumque loci, et praesentis, et posterae aetatis, et saeculorum omnium homines exsecrabuntur. Tantumne stultissime ad aeternum, et maximum tuum dedecus, ac perniciem insanire, tantum audere improbitatis, atque flagitii potuisti, ut *Christum* verum Deum de vero Deo genitum negares, utque caetera ad hanc certissimam, ac divinam fidem spectantia tot mendaciis, et portentosis calumniis adspergeres? Nec divina *Christi* sanctitudo tot admirandis operibus meridiana luce clarius comprobata, nec sanctissima illius doctrina ab

omni vel levissimi erroris suspicione immunis, eruditissimorum, et sapientissimorum hominum omnium temporum, ac nationum praeclaris testimoniis summis laudibus celebrata, nec vicies centena millia, eoque amplius invictorum heroum, qui ad *Christi* Divinitatem propugnandam, et confirmandam incredibili constantia, atque alacritate suam vitam profuderunt, neque concordissimus totius terrarum orbis consensus, et firmissima persuasio, neque alia haud dissimilia, minimeque dubia veritatis argumenta te vecordem, te vesanum, te a recta ratione aberrantem ab hac tanta tua insania, aut potius furore deterruerunt? Quid? Cum plurimorum, et variarum rerum excellenti cognitione praestantem doctorem in aureis tuis libellis te jactites, recordari profecto debuisti turpissimum, et scelestissimum exitum ejusdem tuae dementiae participum, qui ab ultima Christianae rei memoria ad hanc usque diem in solidissimum hocce fundamentum, et angularem lapidem *Christum Jesum* vecordia sua impingentes miserrime sunt protinus dejecti, confracti, ac penitus contriti. Nec te pudet praestantem Parisiensis Facultatis Professorem patriam historiam ignorare? quae nimirum, cum virtute, et egregiis excellentium virorum facinoribus honestetur, maximeque illustretur, tum impudentissimi, atque impurissimi Volterii, ceterorumque frontis ejusdem, et sectae sodalium teterrima peste dedecorata, et foedissima labe est inquinata. Profers mihi ad inauditam tuam ostentandam eruditionem, tuique prodigiosi erroris confirmationem sacrarum Scripturarum testimonia, quas furacissimus, et fallacissimus qui es, praedo adeo verba, et sententias ad libidinem compilando, et interserendo distorques, corrumpis, ac depravas, ut jam illae non Dei, non hominis, sed Diaboli, aut si quid pejus dici possit, verbum esse videantur. Novam en rebus Geo-

graphicis peritiam ostentas, sed noctivagorum amentium more terram obambulare videris. Ad Graecorum, atque Hebraeorum, quorum nihil praeter fidem, ac pervicaciam calles, ac tenes, pueriles confugis scholas, ut infirmae, atque ineptae tuae causae patrocinium, et suffragationem inde aucuperis, at major ex illis tibi existit ignominiae moles, multo magis tua causa infirmatur. Ignorasne, quod Hellenicae linguae tirones adolescentes nostros nescire puderet, non germanos tantum, sed Patrueles fratres, et nepotes, et cognatos Graecum nomen αδελφος, et Hebraeum אח significare? per verbum λογια non sententiarum delectum, sed eloquia, sermones, quibus et facta, et sententiae, et miracula exponuntur, denotari? Historicam Evangeliis abjudicas rationem, e quibus tamen ipse omnia deformando, et mendacia mendaciis coagmentando tuum illum de *Christi* vita monstruosum commentarium effinxisti. Tot a *Christo* patratis summa admiratione, ac veneratione dignis miraculis unus ipse impudentissime denegas fidem, atque ea nimiae hominum credulitati assignas: creduli profecto infensissimi *Christi* adversarii tui similes fuerunt pharisaei, creduli Hebraeorum Scribae, creduli Sacerdotes, qui a miraculorum *Christi* frequentia, et efficacitate sibi metuentes secum invicem consultantes dictitabant: *quid facimus, quia hic homo multa signa facit . . . Totus mundus post eum abiit.* Incredibili, qua *Christus* excellebat oris pulchritudine magna quadam veluti objecta figura captas gentes ad sibi assentiendum, atque adeo ad suam pro illius honore, ac nomine vitam effundendam *Christum* adduxisse autumas? O vere inauditam scitissimi, et lepidissimi doctoris nostri eruditionem! Haec videlicet est illa singularis pulchritudo ab insita *Christi* divinitate, quam ipse scelestissime negas, profecta, de qua Regium Psaltem

tanto saeculorum intervallo divino numine afflatum constat cecinisse: *speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum.* Sed ne longa ac nimis fastidiosa absonarum, atque abnormium rerum commemoratione nequicquam tempus teramus, obsecro te, mi suavissime, et eruditissime Herneste, quid revera de *Christo* sentiendum est, quaenam de illius gestis rebus pro veris habenda sunt, quaenam ut falsa rejicienda, cum contraria contrariis accumularis, et secum invicem repugnantia, quae de eodem simul vere nequaquam possunt affirmari? Quid ergo? Haeret aqua, quid respondeat, nescit furcifer; nec mirum: sicut enim ipsa per se lucet veritas, et magna stat ingenita firmitate; ita error, et falsitas, quo magis fraudibus, ac mendaciis muniuntur, eo magis impediuntur, obscurantur, ac turpissime nemine impellente corruunt. Sed o tui te tandem pudeat, ineptae tuae pudeat stultitiae, tuarum te pudeat stultissimarum ineptiarum: obmutesce, putidissimum, ac foedissimum Christianae Religionis, rationis, ac societatis sepulchrum, in quo sane omne rationis, ac Religionis lumen, omnis socialis charitas extincta penitus, ac sepulta est. Et nos, humanissimi Auditores, de tanto impietatis inusitato monstro, ad cujus pervicaciam, et sceleratissimam impudentiam declarandam, et constringendam desunt Oratori verba, stomachari tandem aliquando desinamus.

Ad nostram potius ipsorum utilitatem postremam hanc orationis partem convertamus, et nosmetipsos colligentes nobiscum una reputemus, et excellentissimam agnoscamus dignitatem nostram; divinae quippe naturae per *Christi* divinitatem consortes effecti sumus: quo quid gloriosus, quid praestantius, quid divinius dici, aut excogitari potest? *Nos ge-*

*nus Dei electum, nos regale sacerdotium, nos gens sancta, nos populus acquisitionis, nos filii Dei ut nominaremur, et revera essemus liberalissima Christi largitate, et caritate perfectum est: quod si filii et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi.* De hac tanta igitur, tamque excellenti dignitate prae gloriosissimis, atque optatissimis quibusque dignitatibus, opibus, honoribus, dominationibus summopere nobis gratulandum et gloriandum arbitremur: in uno Christiano nomine omne nostrum decus, omnem gloriam, et gaudium collocatum existimemus. De isthoc igitur tam praeclaro, tamque divino *Christi* dono, ac munere, quam maximas possumus, et continentes, et assiduas Deo Patri per ipsummet *Christum Jesum* gratias agamus, et immortales habeamus. Verumenimvero nihil profecto momenti ad emolumentum, et salutem nostram, immo plurimum ad ignominiam, ac perniciem christiani nominis una, atque inanis gloriatio habebit, nisi eam vitae integritate, morum innocentia, ac bonorum operum exercitatione honestemus, muniamus, ac tueamur. *Fides* enim *sine operibus*, ut omnes probe nostis, *mortua est, nec auditores legis justi sunt, sed factores legis justificabuntur.* Christianorum autem quod sine gemitu, ac lacrymis dici non potest, maxima pars est, qui verbis confitentur se nosse *Christum*, factis vero negant, qui nimirum a *Christo* sanctissimis documentis, atque exemplis prorsus alienam exigunt vitam. Non simus, quaeso vos, ornatissimi, ac religiosissimi Auditores, de praeposterorum hoc genere christianorum; sed, quantum in nobis est, ad Evangelicam continentiae,et abstinentiae,ac sanctimoniae, plenam disciplinam totius vitae rationem conformemus. Quapropter abjiciamus, et longe a nobis amandemus superbiam, arrogantiam, iram, indignationem, avaritiam, concupiscentiam malam, immunditiam tur-

pem sermonem, invidias, simulationes, fraudes, dolorum machinationes, detractiones, mendacia, et alia hujuscemodi vitia, quae non modo Christiano, sed et homine quocumque liberaliter instituto indigna sunt: *Qui enim Christi sunt*, ut scite admodum Apostolus inquit, *carnem suam cum vitiis, et concupiscentiis crucifixerunt.* Contra ea quae Christianos maximopere decent virtutes amplectamur, et magna sectemur sedulitate animi demissionem, injuriarum tolerantiam, patientiam, benignitatem, modestiam, mansuetudinem, beneficientiam, bonitatem, sinceritatem, et quae sunt hujusmodi virtutes, quae *Christi* sedulos imitatores Deo gratos, et jucundos, ceteris hominibus nos caros efficiunt; ad fraternam, ac mutuam praecipue caritatem excolendam, et confovendam quotidie incumbamus: ea namque gloriosissima Christianorum tessera, et pretiosissimum ornamentum est, e qua velut e beatissima radice virtutes caeterae germinantur, aluntur, ac roborantur. Saluberrimis Divi Pauli monitis obtemperantes: *abnegemus impietatem, et saecularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus*, nulla nec temporum varietate, nec rerum vicissitudine a *Christo* separari patiamur, et illi unice, et constantissime adhereamus, *Christum* dies ac noctes in cunctis nostris dictis, ac factis, et reliqua vitae ratione *Christum* intueamur, *Christum* geramus, *Christum* cogitemus, *Christum* meditemur, *Christum* tota anim, corporisque voluntate, et contentione imitemur, sempiternam cum *Christo*, et per *Christum* gloriam ac felicitatem consecuturi. Dixi.

Sit Christo decus omne, Patri sit gloria summo,
quemque Paracletum spirat uterque Deum.